

II f 550

DISPUTATIO ACADEMICA
DE
IMAGINATIONE

Ejusque
• VIRIBUS,

Quam
JUVANTE DEO
SUPERIORUM PERMISSU

PRÆSIDE
VIRO PRÆ-CLARISSIMO
DN. M. JOHANNNE CHRISTO-
PHORO Hundeshagen/
Facult. Philos. Adjuncto,

Secundâ vice Eruditorum
Examini subicit

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

VVILHELMUS Leibhold/
Ilmenâ - Thuring.

In Auditorio Philosophorum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

JENÆ,

Literis Johannis Jacobi Bauhofferi,
ANNO M. DC. LXVI.

.9 42.



VIRIS

MAGNIFICO, CONSULTISSIMO ATQUE EX-

CELLENTISSIMO

DN. GEORGIO ACHATIO

Sehern / Comiti Palatino Cæsareo, Cancellario Rudolpho-
politano-Schwarzburgico Eminentissimo, atque Sacri
Synedrii Præsidi Gravissimo:

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE

EXCELLENTISSIMO

DN. IVSTO SÖFFINGIO,

SS. Theologiæ Doctore longè celeberrimo, nec non Ecclesia-
rum ac Scholarum in Comitatu Schwarzburgico Su-
perattendenti Generali vigilantissimo:

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE EX-

CELLENTISSIMO

DN. AHASVERO FRITSCHIO,

J.U. Doctore Famigeratissimo, Consiliario Rudolphopoli-
Schwarzburgico Gravissimo:

Maximis suis Evergetis & Patronis,

omni animi submissione honorisque cultu æter-
nùm prosequendis,

Disputationem hanc submissâ mente

offert

VV. L.



DISPUTATIO ACADEMICA

De

IMAGINATIONE

ejusque

VIRIBUS.

PRÆLOQUIUM.



Supendas esse Imaginationis vires, exempla quàm plurima nos docent, quorum quædam in scenam producturi sumus. **VINCENTIUS** narrat, quendam tantam sibi imaginatum fuisse corporis magnitudinem, quantâ ostium pertransire non posset. Et cum Medicus per ostium eum transportari iussisset, querulâ ipsum dixisse voce, in transportatione istâ totum se fuisse contractum, & inde paulò post suum obiisse diem. Sic alius, cum inter Parentum sepulchrum obambulare, & lapillum fortè calcaret, adeò, ut is adhæresceret calceis, à manibus Parentum trahi se clamavit, & intra diem septimum mortuus est. Sic quidam ad supplicium tractus, & linteò frigidâ imbutò in collum percussus, gladii ictum se sentire existimans, expiravit. **BIBIUS GALLUS ROMANUS** stultè personam agens ex imaginatione fortiori stultus factus est. **LUCIANUS** de quodam Histrione refert, quòd repræsentans Ajacem furiosum verè furiosus evaserit. **THOMAS A VEGA** refert, quendam feбри ardenti decumbentem in delirio Medicos obnixè rogasse, ut in stagnò illò (pavimentum monstrabat) natare sibi liceret; sic enim convalesciturum se credebat. Medici hoc concessere, tunc in pavimentò
sum-



DISPUTATIO ACADEMICA

De

IMAGINATIONE

ejusque

VIRIBUS.

PRÆLOQUIUM.



Supendas esse Imaginationis vires, exempla quam plurima nos docent, quorum quædam in scenam producturi sumus. **VINCENTIUS** narrat, quendam tantam sibi imaginatum fuisse corporis magnitudinem, quantâ ostium pertransire non posset. Et cum Medicus per ostium eum transportari jussisset, querulâ ipsum dixisse voce, in transportatione istâ totum se fuisse con fractum, & inde paulò post suum obiisse diem. Sic alius, cum inter Parentum sepulchrum obambulare, & lapillum fortè calcaret, adeò, ut is adhæresceret calceis, à manibus Parentum trahi se clamavit, & intra diem septimum mortuus est. Sic quidam ad supplicium tractus, & linteò frigidâ imbutò in collum percussus, gladii ictum se sentire existimans, expiravit. **BIBIUS GALLUS ROMANUS** stultè personam agens ex imaginatione fortiori stultus factus est. **LUCIANUS** de quodam Histrione refert, quòd repræsentans Ajacem furiosum verè furiosus evaserit. **THOMAS A VEGA** refert, quendam feбри ardenti decumbentem in delirio Medicos obnixè rogasse, ut in stagnò illò (pavimentum monstrabat) natare sibi liceret; sic enim convaliturum se credebat. Medici hoc concessere, tunc in pavimento
sum-

summâ cum lætitiâ se volutavit, & aquam nunc ad genua,
nunc paulò altiùs ascendere sibi persuasit, quam cum tan-
dem ad guttur usque pervenisse putavit, se jam sanum dixit,
sanusque evasit. Quod sanè factitatum credimus ob inten-
sam imaginationem. Sic ex imaginatione factâ oscitat osci-
tantem qui spectat. Ex imaginatione esurientes de lauti-
ori si cogitant cibo, salivam in ore sentiunt. Fructus auste-
ros comedentes qui spectat, propter imaginationem per-
funditur terrore. Ex imaginatione Mater à Lacertâ per-
territa, foetum produxit Lacertam in pectore gerentem. Fa-
cti multi sunt morbi ob imaginationem. ARNOLDUS
PHILOSOPHUS scribit, cum somniasset nocte, à cato suum
morderi pedem, se postridiè in pede isto contraxisse ulcus.
Multi quoque morbi ex imaginatione tolluntur: sic testan-
tur Medicorum filii, multos febribus laborantes, haleces ad
fatiem usque comedendo, aquam crudam ingurgitando, mul-
taque morbo alimenta ministrantia usurpando sanatos fuis-
se: quod quidem non cibi aut potus illius virtute, sed ob con-
fidentiam intensamque imaginationem factitatum certò
fuit. Et quis omnes imaginationis vires enarrare audeat?
Mirari potiùs eas quàm rimari debemus. Laboriosa sem-
per est in animali Imaginatio seu phantasia, in ipso quo-
que somno somnia varia fingit. Nec proprium saltim agi-
tare satagit corpus, alienum etiam miris ac diris tractat
modis. Mirabilis igitur est natura: cum nihil sit in natu-
ralium rerum censu, in quo *δαμνασόν* non eluceat, in quo
non naturæ lumen deprehendatur; mirabilior autem est
ille, qui eam tantis instruxit viribus, tantis dotavit donis.
Ast adeunda nobis sunt Naturæ penetralia, ut in istis ad
ipsum Creatorem cognoscendum eoque perfruendum no-
bis viam muniamus. DEUS igitur almus cœptis nostris
annuat, ut ex hoc tortuoso naturæ labyrintho feliciter e-
vadere queamus, sine cuius afflatu & auxilio si erit,
ut ubique; sic & hic clamandum esse cense-
mus, nos nihil scire.

§. I. De-

DE numero sensuum internorum lis atque contentio inter Doctores Physicos est magna; alii enim binos, ut phantasia & sensum communem; alii tres, ut phantasia, sensum communem & memoriam; Alii plures, ut Phantasia, sensum Communem, Memoriam, facultatem imaginativam & reminiscenciam numerant. Nos priorem sententiam, quæ duos tantum admittit, veram esse putamus, & præmonemus, quod numerus iste, sensuum internorum non possit colligi ex numero ventriculorum cerebri: ventriculi enim in eum usum non sunt conditi, verum vel ad spiritus procreandos vel ad excrementa cerebri excipienda. Nec potest etiam numerus sensuum internorum colligi aliter, quam ex diversitate operationum, quæ adeo sunt distinctæ, ut plures facultates necessario postulent. Quod verò attinet memoriam, ea non potest sensibus annumerari, quod hoc statum inamus ratiocinatio: *omnis sensus cognoscit, sicuti in aprico est; memoria non cognoscit, quia si memoria cognosceret, semper res illæ, quæ in memoria continentur actu cognoscerentur, quod falsum, cum multa in memoria habeamus, quæ actu ratiocinatio cognoscimus. Ergo memoria non erit quidam sensus. sed dicimus eam facultatem animæ sensitivæ conservativam specierum à sensibus acceptarum.*

§. II.

Facultatem verò imaginativam non esse diversam à phantasia, probat *Antonius Ruyio Comment: in lib. 3. de anim. Quæst. I. p. m. 397.* Nam isti qui faciunt facultatem imaginativam diversam à phantasia, ajunt, quod phantasia apprehendat simplicia, imaginatio autem ex simplicibus componat tertium. v. gr. phantasia apprehendat montem & aurum, imaginatio verò componat ex utroque montem aureum. Verum hæc sententia se ipsam evertit, quomodo imaginatio componere potest tertium ex simplicibus, cum simplicia ipsa antè non apprehenderit seu cognoverit prius per proprias species: sicut intellectus non potest componere propositionem ex terminis simplicibus, si prius eosdem non cognovit per species proprias: unde sequitur, quod Imaginatio non sit po-

H

ten-

entia distincta à phantasia, & quod phantasia utrumque præstet nempe & terminos simplices apprehendat, ipsosque componat. Ea igitur animæ vis quæ græco idiomate *φαντασία* dicitur, Latinis est *Imaginatio*, nomen ab officiô sortita, puta ab imaginibus, quas concipit, & in sese efformat, quasi velles imaginum agirationem dicere.

§. III

Reminiscencia verò ex unius vel plurium rerum in memoriâ observatarum recordatione regreditur. sic interrogatus quale nomen Imperatoris sit, si promptè illud recitare scio, ut aliquando audiui, *memoria* est; si verò ambigo, & ex alio consimili nomine tandem recordor *reminiscencia* dicitur. Illa jam *reminiscencia*, aut est actus intellectus aut solùm phantasiæ sive Imaginativæ in homine, prout ab intellectu determinatur. Ad *memoriam* non spectare *reminiscenciam* lubentissimo animo concedimus. Nam memoria communis est bestiis cum hominibus, reminiscencia autem tantum hominibus competit, quia non fit absque discursu. Ea enim nos ex aliquibus memoriâ comprehensis in cognitionem illius deducit; quod memoriæ non statim occurrit, ut propterea ibi aliquis discursus esse videatur, & ideò in hoc actu intellectus non est excludendus, & quamvis hi actus propriè non sint actus memoriæ, memoria tamen ad eosdem est necessaria.

§. IV.

Relinquitur Ergò duos tantùm esse sensus internos, nempe phantasiam & sensum communem: *sensus communis* dicitur, quod sit sensus internus, per quem omnia sensuum externorum objecta præsentia apprehenduntur, dijudicantur, & à se invicem discernuntur. Dicitur ergò *sensus communis* non quod sensibilem communium tantùm sit apprehensivus, sed cum primis ex eo, quia de sensibilibus omnium sensuum externorum judicat. Hinc idem ab Aristotele centro circuli comparatur, quo ipso modum operandi hujus sensus exponit Philosophus. Nam sicuti omnes lineæ ductæ ad circumferentiam circuli conveniunt in centro, ita omnes sensus exteriores eorumque objecta vel objectorum species in
hoc

hoc sensu conveniunt, ibidemque completa & perfecta sensatio perficitur. Nam licet externi sensus sua objecta cognoscant, ea tamen dijudicare & à se invicem discernere nequeunt. ex. gr. visus colorem quidem cognoscit, sed eum à sapore vel odore aut sono distinguere nescit, cum enim visus de sapore vel odore aut sono nihil cognoscat, patet quod nec ab illis discernere queat colorem: dijudicat ergò & discernit hic sensus communis; ad hunc ergò species sensibiles tanquam ad judicem & arbitrum deferuntur. Hoc igitur sensu sentimus nos sentire, id est qui oculo speciem recepit, scit se videre & ita in cæteris, videatur *Vossius lib. de orig. & progres. idololatria cap. 31.*

§. V.

Hic autem sensus communis, cum paulò confusiùs cognoscat, suas species ulterius examinandas tradit phantasia, tanquam subsellii superioris Judici. Quæ phantasia sive facultas imaginativa potentia distincta est, à sensu communi, quia sensus communis tantùm objecta præsentia externorum sensuum cognoscit & dignoscit, phantasia autem in absentibus quoque versatur. Et deinceps sensus communis judicat de rebus, ut per species oblatae sunt, phantasia autem variè etiã componit & ex illa, compositione fingit mirabilia sicuti infra videbimus. Aberrarunt igitur à vero illi, qui phantasiã cù sensu communi confuderunt, easque non potentias distinctas esse putarunt; quem errorem fovisse l. c. Antonius Ruvio dicit *Galen. lib. de differentiis sympt. t. 3. Vallem. lib. 2. contror. med. cap. 22. & 23. Damasc. 2. lib. fidei cap. 17. & Gregor. Niss. lib. de viribus anime c. 6. & 7.*

§. VI.

De voce phantasia notandum est, quod soleat dupliciter accipi: (1.) populariter pro depravata ratione aut cogitatione. h. m. vulgus phantasticos appellare solet, qui defleunt à rectò judiciò, què in sensum Medicorù ante signanus Galenus in lib. 3. interit. dixit: *Affectio quæ dicitur phantasia nihil aliud est, quam rationis corruptio.* (2) Vox phantasia accipitur proprietate physicã pro virtute imaginativã seu virtute

animali, formarum prius in sensu communi susceptarum cur-
mode. Juxta quam acceptionem iterum accipi consuevit (a)
pro actu potentiae imaginativae, qui realiter ab ea est distin-
ctus, & sic phantasia seu imaginatio est specierum sensibili-
um perceptio; deinceps (β) sumitur pro ipsa potentia ima-
ginativa.

§. VII.

Phantasia jam (seu vis imaginativa) est *sensus internus*
percipiens etiam res absentes, speciebus earum à sensu communi receptis
& retentis sine differentia temporis. Dicitur: 1. phantasia sensus
internus, in quo convenit cum sensu communi, quippe qui
etiam est sensus internus. Deinde 2. dicitur, percipiens e-
tiam res absentes, quo ipso distinguitur à sensu communi,
qui tantum objecta praesentia sensuum externorum digno-
scit; phantasiae autem objectum sunt non solum res praesen-
tes, sed etiam absentes. Dicitur, 3. speciebus rerum à sen-
su communi receptis. Sicut enim *nihil est in sensu communi, ni-*
si prius fuerit in sensibus externis; ita nihil est in phantasia, nisi prius
fuerit in sensu communi; propterea etiam bono ordine sensum
communem sequitur phantasia: sed dicis: Phantasia species
novas effingit, concipit enim montem aureum, cervum cor-
nua gestantem, quae species montis aurei, cervi cornua
gestantis antea in sensu communi vel aliquo exteriorum sen-
suum non fuerunt, & sic dijudicat ipsa per species à sensu
communi non acceptas; sed Responsio est in proclivi; aliud
enim est *fingerere novas species, aliud est species componere.* Quic-
quid est in Phantasia, aliquando fuerit in sensu necessum est.
Et Phantasia nullam fingit speciem, quae non aliquando in
sensu externo & communi fuerit, at non eodem modo circa
illas versatur. Potest enim componere res & species, quae
in sensu communi & externis erant sejunctae, ex. g. in sensu
externo & communi nunquam fuit aureus mons, fuit ta-
men ibi aurum seorsim & mons seorsim: Visus enim, cui
primatum inter sensus externos universa philosophantium
natio arrogat, saepe vidit aurum, & saepe vidit montem.
Haec species conjungit Phantasia, & sic nihil versat vel sen-
tis

est phantasia, nisi vel secundum totum, vel saltem ratione partium in sensibus & externis & communi antea fuerit. Sic Zabarella lib. de Facult. animæ. cap. 12. inquit: phantasma fuit aliquando sub sensu saltem ratione partium suarum separatim, licet non ipsum totum; sensu namque & montem seorsim apprehendimus & aurum, quæ igitur sensus separata cognovit, hæc à phantasia conjunguntur, & ita montem aureum imaginamur: sic etiam videmus magnitudinem montis, & vidimus animal, ideo magnitudinem cum animali conjungentes imaginamur animal magnum instar montis & alia ejusmodi. Hæc Zabarella.

§. IIX.

Dicitur 4. in definitione phantasiæ speciebus retentis: retinentur scilicet in phantasia species rerum à sensu communi perceptarum, ut variè eas componat phantasia, & ex illa compositione mirabilia effingat, sicut per talem compositionem phantasia concipere montem aureum diximus. Et hoc ipso iterum differt phantasia à sensu communi; hic quidem bene recipit species externorum sensibilium, sed eas non retinet aut reservat, ut facit phantasia, propterea ut illis utatur ad variam specierum compositionem. Dicitur denique 5. sine differentiâ temporis, ut phantasia distinguatur à memoria, quæ rationem temporis involvit, nempe præteriti, cum non nisi circa rem præteritam versetur & illius rei speciem, quæ jam fuit cognita, recipiat in se & conservet.

§. IX

Ex his elucet, quòd phantasia sensibus externis correspondeat, quatenus particularia & corporea & præsentia percipit; sensibus præstet, quod sine ullius beneficio tam absentium quam præsentium, & si me audis, vel ne ipsi quidem naturæ possibilium imagines è thesauro suo proma vendit. Consonat sensibus externis, dum sensibus speciebus utitur pro objectis; Sensibus exceleentior est, quando species à sensu relictas cessante ipso & sequestrat invicem & copulat pro lubitu.

§. X. In

§. X.

Intellectui aspidet, quatenus vaga & nullius obnoxia habentis: multis verò disfidet ab eò parasangis, quòd dum intellectus particularia, & præter hæc universalia intelligibilia ab omni materiæ contagione defæcata concipit; hæc Vis Imaginativa in sensibilibus & particularibus & materialibus solummodò occupata est.

§. XI.

Nihilo tamen minùs in fœdus & amicitiam omnium superiorum animæ facultatum recipitur, quæ suis officiis sine phantasiæ adminiculo orbata pessum eunt, siquidem anima corporis adhuc socienna nec scire nec intelligere, nec ratiocinari quicquam poterit, nisi ei species phantasia identidem subministrat.

§. XII.

Phantasia jam, (quæ in brutis animantibus illud dicitur esse, quod in homine ratio est) varios & distinctos habet actus. quidam sunt *simplices*, quidam sunt *compositi* ita loquendo. *Simplices* sunt 1. mediante sensu communi ab organis sensuum externorum species sensibiles recipere. 2. eas in se continere, 3. contentas aliquantisper versare & aptius ordinare. 4. eas tandem convertere in naturam phantasmatis, quod in homine fit objectum intellectus agentis, juxta illud Aristotelis: *oportet intelligentem phantasmata speculari lib. 2. de ani. tex. 30. & 39.* Actus verò *compositi* iterum sunt, vel æstivativi sive elicitivi, quando unum ex altero elicitur; vel formativi, quibus variæ imagines formantur, quas memoriæ ergò licet ita appellare, & distinctè proponere: *Actus elicitivus* est, quo phantasia elicit è sensatis non sensata, hoc est ex illis quæ sensu sunt cognita deducit alia, quæ à sensibus cognita non fuere, & sic instar discursus se habet. Sic ex. g. ovis ex specie lupi sensu percepta defertur in non sensatum, quod est inimicitia, dum exinde elicit lupum sibi esse inimicum. Contra verò canis ex plausu manuum elicit amicitiam, accedit enim ad plaudentem sibi manu, tanquam ad amicum.

§. XIII.

Petrus Gassendus de Phantasia & Imagin. c. 4, hanc operati-

rationem nullus addubitat vocitare *rationem*, quam duplicem facit vel sensitivam vel intellectivam. Intellectivam soli homini attribuit, sensitivam omni animali concedit. Sic si asinum adigas ad oram præcipitii & baculo ipsum urgeas, ut progrediatur, nihilominus tamen resistet & pedem retrahet, quia ratiocinando malum futurum nempe membrorum fractionem prævidet; ideò ex duobus malis minus eligit & mavult plagas perferre, quam membra frangere. Sic ex Plutarcho idem Gassendus recenset, *venisse aliquando formicas ex uno cavo ad aliud, formicam mortuam deportantes; ascendisse ex isto alias tanquam ad colloquium & descendisse iterum, ac id bis terque factitasse; tandem has extulisse vermem tanquam pretium redemptionis pro mortua: illas eò accepto & cadavere mutuo tradito discessisse.* Hæc Gassendus, qui hanc operationem phantasiæ in formicis appellavit ratiocinationem sensitivam.

§. XIV.

Actus phantasiæ formativi numerantur tres; *Primus* est species à sensu communi acceptas & reservatas ad invicem componere, id quod fit tum in vigilante animali, tum in dormiente. ex gr. dum animal vigilans componit speciem equi & speciem cornuum, sibi que concipit equum cornutum. In somno, dum animal componit species diversarum rerum, vidensque inde varia & mirabilia somnia ex. gr. componit speciem lapidis & speciem cruris, & somniat crus lapideum. *Secundus* est componere species sensu perceptas cum intentionibus elicitis, Ex hoc enim, quod ovis apprehendit speciem lupi tanquam nocivam, elicit inde inimicitiam, quæ duo phantasia componit, & lupum tanquam inimicum concipit, hinc ovis lupum fugit tanquam inimicum. *Tertius* actus est componere intentiones cum intentionibus, id quod patet de ove, quæ agno præbet ubera tanquam proli sibi amicissimæ; alienum autem repellit, tanquam ad se nihil attinentem. Et canis novit, quod hero subblandiri; alium verò nempe inimicum persequi debeat.

§. XV.

Gassendus actum in ordine secundum, iudicium enunciativum vel enunciationem vocat, brutisque quoque virtutem
con-

conficiendi enuntiationes concedit; dum enim animal unā apprehensione quid imaginatur, eāque non dimissā aliam elicit, tūc has duas apprehensiones aut tanquam congruas copulat, quæ erit ut affirmans enuntiatio, aut distrahit tanquam incongruas, quæ erit, ut negans enuntiatio. Sic dum canis videt hominem venientem & apprehensione hâc non dimissa, apprehendit continuo herum, tum apprehensionem utramq; conjungens videtur suâ phantasiâ hujuscemodi operationem elicere, hic veniens est herus, id propter judicat ad eum accurrendum esse. Et si aliquousque progressus per certa signa apprehendit, non esse herum, quem antè putaverat esse herum, dum apprehensionem utramque disjungit, & elicit hanc; hic veniens non est herus, ideòque ab illo discedit. Discrimen autem inter enuntiationem quæ ab homine & eam quæ à bruto conficitur, in eo positum esse existimat Cassendus, quod copula seu verbum substantivum est disertè ab hominibus efferatur. In enuntiatione autem bruti videtur talis modi copula tantum contineri virtute, quatenus subjectum & prædicatum apprehendit ut unum, quatenus igitur ex. g. canis hominem cum herilitate concipit, seu hæc duo ut unum sibi imaginatur formare dicitur enuntiationem, quæ si ab homine conficeretur talis esset, hic homo est herus. Plura apud Cassendum videri queunt. Ex his patescit phantasiâ esse imaginem rationis, & id ferè præstare in brutis, quod ratio in hominibus præstat. Quo facit quæ Vossius lib. 3. de orig. & progres. idolola. dixit, quando inquit. Non dubium igitur, quin phantasia quædam sit imago rationis, ejus autem æstimatio, quæ quid judicat, sequendum aut fugiendum esse, species sit ratiocinationis, sive conclusio ista sit elicitæ ex principio, quod didicerit animal experientiâ sive ex eo, quod Deus nature Conditor indiderit phantasiæ.

§. XVI.

Et quidem jure, phantasiâ salutari rationis imaginem patefit ex variis mirabilibusque operibus, quæ bruta ejus beneficio efficiunt: sic compertum est, bruta nonnulla mutationem aëris indicare, pluvias ac tempestates dubio prædicere cælo; multas beluas edoctas fuisse humanam reddere vocem, sic Elephanti panegyrica spectacula exhibere, varias in gestu figuras effingere, genua flectere, coronas astantibus offerre, atque

que alia similia ludicra ediscunt. Ac ne quid in hoc genere admirationi deesset, legimus Elephantum literas præscribere doctrinam assuevisse. Nec verò bruta, tunc solum cum ab hominibus instituuntur, disciplinæ specimen dant, sed ipsa sene mutuò instituere consueverunt. Luscinia pullos suos vocem ad numeros modulari, & ad omnem concentus varietatem atque artifices argutias flectere prædocent. Meditantur juniores, versusque quos imitentur, accipiunt; audit discipula intentione magnâ & reddit. Unde qui pulli adhuc rudes capti sunt, & in caveis nutriti, minùs suaviter canunt. Videlicet ante legitimum tempus à Doctore & à schola musicæ subtrahi. Quibus motus *Porphyrus lib. 3. de abstinentia*. statuit naturam omnibus animantibus, quibus sensum & memoriam dedit, rationem quoque, imò & orationem tam internam quam externam tribuisse. Additque Appollonium Tyancum, Melampum, Tyresiam & Thaletem, brutorum sermones dijudicasse atque intellexisse: asserit itaque, bruta rationem participare, neque per eam ab illis hominem simpliciter distingui; sed quod homini perfectum rationis acumen insit, illis imperfectum.

§. XVII.

Sed absurdi sunt, quicunque brutis rationem tribuunt. Ubi enim non est principium Rationis, anima nempe rationalis, ibi nec ratio esse potest; sed bestia animam rationali destituitur, idcirco etiam ratiocinari nesciunt. Ad hoc bestia nec causas nec effectus intelligunt, nec à causa ad effectum & vice versa argumentari aut discurrere possunt, quæ sunt propria rationis opera. Quod igitur de Elephantis, de Lusiniis, de Apibus, de Canibus sagacioribus affertur, illud nihil aliud arguit, quam esse in hujusmodi animalibus sensum communem expeditum, & phantasiam acutam, propter exactiorem sanguinis temperiem, atque adeò in hisce brutis *umbram quandam & similitudinem Rationis*. Nec bestia ab homine modò phantasie bonitate vincuntur; sed eadem etiam alia aliis hæc in parte præstant. Nempe ut in homine, ita quo-

I que

que multis animantibus pro temperamento cuiusque aut perfectior illa est, aut imperfectior. Nec enim in hominibus duntaxat melancholici sunt ingeniosi, phlegmatici autem stupidi, sed in bestiis similiter vulpes, quia atrabile abundant, sunt versuta, oves quia phlegmaticæ, eò stolidæ. Vide-
sis Vossum lib. 3. de orig. & progress cap. 31.

§. XVIII.

Ex quibus evidentissimè constat, phantasiam non in solo homine, verùm etiam in brutis locum habere, quod insuper ex eo colligere est, quod ista admodum nobiles edunt operationes. Imò dociles esse nonnullas bestias ipsa experientia veritatis Magistra nos edocet, quæ tamen docilitas non Rationi est adscribenda; siquidem duplex datur docilitas αἰσθητικὴ & λογιστικὴ. Docilitas αἰσθητικὴ competit brutis animantibus, λογιστικὴ verò minimè, sed solis hominibus convenit. Illa huic est ἀνάλογος, nec talis, vel tantæ perfectionis, quanta est docilitas apud homines. Quæ analogia exinde elucescit, quòd in jumentis & feris phantasia est dux, eoque fungitur ferè officio, quò mens sive Ratio in hominibus. Quò pertinet, quod legitur 2. Phy. tex. 80. araneas, formicas, aliæque ejusmodi animantia consilii & rationis expertia, sine delectu, solius naturæ ductu sua opera moliri, eò artificio atque ordine, ut multi dubitarint, mentè ne an alio quodam principio agerent.

§. XIX

Gilbertus Jacchæus lib. 8. inst. phy. cap. 24. statuit, non omnes sensus internos inesse omnibus animalibus, nam, inquit, licet nullum sit destitutum sensu communi, ut in iis, quæ secta vivunt, videre est. Nam post sectionem moventur, motus ille ab appetitu est; at appetitus nihil agit, nisi dirigente potentia cognoscente, quæ hic nulla est, nisi sensus communis. Denegat itaque Jacchæus phantasiam animalibus imperfectioribus. Verùm rectius Antonius Ruvio comment. in lib. 3. de ani. quest. 8. statuit phantasiam seu Imaginationem competere omnibus animantibus, etenim Aristoteles lib. 3. de ani. cap. 11. tex. 56. imaginationem etiam animalibus imperfectissimis concedit. Id-
que

que exinde probari potest, quia primò negari non potest
sensus externos fuisse concessos, si non omnes, tamen ali-
quos, jam objecta horum sensuum externorum debent à se
invicem discerni, quod est officium sensus communis, quip-
pe qui ipsis denegari non solet. Deinceps animalia etiam
imperfectissima habent appetitum sensitivum, cum evidens
sit ea appetere sibi convenientia ad conservationem pro-
priae naturæ & delectationem, doloremque sentire, quia si
pungantur, se contrahunt; sed ex eo, quòd animalia habent
appetitum sensitivum ad appetendum sibi convenientia & fu-
giendum nociva, colligitur ulterius, eis concedendam esse
imaginationem aliquam, cujus beneficiò appetitui propo-
natur aliquid, tanquam convenientis vel nocivum, quod sen-
sus communis præstare nequit, sed illud pertinet ad Imagi-
nationem.

§. XX.

Idem Jacchæus l. c. in alio erroris luto hæret, quod nem-
pè memoria non sit distincta facultas à Phantasia, cujus est thesaurus.
Sed falsum hoc est, nam eo ipso, dum memoria à Jacchæo
phantasiæ thesaurus appellatur, sequitur irrefragabiliter,
eam esse distinctam facultatem ab illa. Deinceps aliud est u-
triusque objectum, tam materiale, quàm formale: quâ mate-
riale, phantasia est rerum tam præsentium, quam absentium
adeòque ejus objectum ex circumstantia loci petitur; at verò
memoriæ objectum sunt res præteritæ, adeòque ejus obje-
ctum ex circumstantia temporis desumitur. Accedit & hoc.
quod alius actus sit phantasiæ, alius verò memoriæ; hoc igi-
tur dicendum videtur, quod memoria sit facultas ministra
phantasiæ, hac ratione, ut nempe species rerum à sensibus
externis & communi perceptarum in memoria reserventur,
quas phantasia repetere & iterum versare possit. Ut proinde
memoria definienda veniat facultas animæ sensitivæ, conser-
vativa specierum, à sensibus tam internis quàm externis ap-
prehensarum. Estque objectum memoriæ quodammodo i-
dem cum objecto sensuum, & quodammodo diversum etiam.
Idem est, quantum ad rem, siquidem quicquid cadit sub sensus,

cadit etiam sub memoriam. Diversitas autem est in eo, quod res & species sensuum in memoria cum differentia temporis præteriti comprehenduntur. Ut proinde si rem verbo comprehendere velimus, objectum memoriæ sint omnes res præteritæ, quæ sensibus fuerunt perceptæ, quarum thesaurus & promptuarium quasi est, & dicitur memoria, Et quidem solæ res præteritæ memoriæ subjiciuntur, quemadmodum sensui externo tantum res præsentis. Præsentium enim quatenus talium non meminimus, sed ea sentimus, & agnoscimus: Futuræ autem res, non memoria, sed spe & expectatione comprehenduntur, ut docet *Philosophus in lib. de memoria & reminiscencia.*

§. XXI.

Jam quoque quædam de situ phantasiæ dicenda veniunt: Alberti Magni, Thomæ Aquinatis & aliorum fuit opinio, in sincipite esse sensum communem; in capitis medio phantasiam; in occipite memoriam. Nam & læso sincipite lædi sensum communem, & læso vertice, lædi phantasiam, & læso occipite, lædi memoriam. Præterea, inquit, sinciput esse humidum, ut facilè recipiat, quod haud diu retinere sit opus, medium capitis esse temperatum, quia & recipere, & aliquandiu retinere sit necesse. Occiput esse siccum, ut, quod admiserit, diu reseruet. Jam autem sensus communis esse, recipere, ac solum retinere objecto præsentis, phantasiæ esse, recipere & diutiùs versare, etiam objecto absente: memoriæ vero esse, recepta fideliter reservare. Idem Jacchæus ferè sentire videtur, qui loco allegato inquit: *sensus communis est in anteriori cerebri parte, per quam viæ quædam & foramina patent, per quæ rerum simulachra ab externis sensibus accepta, commeant. Phantasia posteriorem ejus partem sibi delegit.* Fernelius tamen istos sensus situ locovè distingui negavit. Doctissimus *Vossius lib. 2. de orig. & progress. c. 33. inquit.* nihil tamen impedit, quò minus phantasia, vel cerebro toto, vel eo loci duntaxat excepto, quod sensui tribuunt communi, suas ubique obeat functiones: & tamen, ubi speculari desit, in occipite solo species recondat; inde eas suscitet; si denuò contemplari juvet, inque

que isto cum eadē loco speculetur ac verset; Ubi reposuerat.
Hæc Vossius. Rem hanc aliis Cordatioribus dirimendam re-
linquimus.

§. XXII.

De Viribus phantasiæ seu imaginationis jam noster fer-
veat labor. Actiones imaginationis duplices esse constat;
nempè vel primarias, vel secundarias; primariæ actiones sunt
immanentes, de quibus supra fuit actum; secundariæ sunt
transeuntes, & sunt illæ, quando phantasia non intra suos se
coërcet cancellos, nuda cudens phantasmata; sed plus ultrà
tendit, ac dominium in corpus nunc proprium, nunc ali-
enum affectat. In proprium corpus, cum anima phantasiæ
operâ proprium suum mutat domicilium: v. g. cum medica-
mentum purgans tantum visum laxat alvum, cum fœtida mo-
vent nauseam, jucunda appetitum. In alienum, cum anima
phantasiæ operâ animæ alterius mutat domicilium, præpri-
mis internum; sic accidit, ut cum mulieres duæ in plateâ con-
fabularentur, & ex improvise à tergo adventaret alia, ac fron-
tes utriusque collideret; alterâ earum, quæ prægnans fuit,
duas pepererit filias, frontibus ad nasum usque cohærentes,
quæ decem annis continuis vixere conjunctæ.

§. XXIII.

Hæc & similia phantasia non facit per se & directè; sed
faltim per accidens & indirectè. Non per se ac directè, quia
*facultas cognoscens est, cujus proprium cognoscere; non mutare sive
proprium, sive alienum corpus.* Etenim phantasiæ actio est im-
manens, quæ ut plurimum est infœcunda. Et sane, si hoc præ-
staret phantasia per se, nullus, qui de morbo cogitaret inten-
sius, isto non corripere ocyus; nullus, quem hodie vexa-
re inciperet morbus, cras aut perendie non convalesceret:
omni enim hora, omni momento ægrotantes de sanitate ceu
summo cogitant bono. Per accidens verò & indirectè phan-
tasia mutat corpus tum proprium, tum alienum, quatenus
æmpè facultatem cognoscentem sequitur appetens, appe-
tentem locomovens, locomoventem mutationes illæ mi-
randæ. sic phantasia appetitum excitat; appetitus locomoti-
vam; locomotiva spiritus & humores; spiritus & humores.

pro suo accessu & recessu mutant partes. Prima actio est cognitio, secunda cogniti appetitio, tertia appetiti prosecutio, quæ motu peragitur. Non prosequimur, nisi quod appetimus, non appetimus, nisi quod cognoscimus, ignoti nulla cupido.

§. XXIV.

Hinc quomodo phantasia mutet corpus proprium patet; de corpore autem alieno res est difficilior. Istud autem phantasia modo gemino mutare ajunt; vel determinatum quid, vel indeterminatum inferendo. Determinatum, cum certa & peculiaris datur signatura, v.g. quando gravida mora subito spectat, & verrucas moris similes foetui imprimit; quando fragorum aut cerasorum affecta desiderio, istorum in foetu producit effigiem. Indeterminatum, cum non certa aliqua fit signatura, sed aliud quid insperatum producit, v.g. cum gravida gladio aut fuste percussa, foetum gignit mortuum, aut à lupo territa foetum edit pallidum. Hosce jam indeterminatos effectus edit per appetitum & locomotivam, hoc pacto & ordine: Phantasia turbat Appetitum, Appetitus Locomotivam, Locomotiva humores & spiritus; hinc illa effectus.

§. XXV.

Determinatos effectus verò novâ & peculiari edit ratione. Excitat quidem phantasia appetitum, ut velit, & appetitus stimulat locomotivam, quæ moveat spiritus & humores, pro quorum accessu & recessu turbantur partes; tamen hoc ipso humorum ac spirituum infuso incursu, certæ illæ notæ, certam habentes quantitatem, certam figuram, certum colorem, certumque situm, formari neutiquam possunt. Sic cum gravida de cerasis ac fragis cogitavit, quomodo confusus ille humorum ac spirituum motus, cerasorum & fragorum potius, quam aliarum rerum pingit figuras? hic ad facultatem formatricem secundum regulam & ideam quandam operantem recurrendum est. Quicquid in toto foetus opere perficitur, illud facultati formatrici adscribendum est. Nihil format phantasia; nihil appetitus; nihil locomotiva;
nihil

nihil spiritus ac humores; sola formatrix format omnia. Hæc cum à Phantasia seducitur ac turbatur, membra format tortuosa, milleque modis depravata. Totum negotium consistit in specierum communicatione. Etenim species phantasiâ perceptæ matris spiritibus ac sanguini communicantur, post spiritibus aut sanguini fœtus imprimuntur; & ibi instar exemplaris formatricem ad hoc, & non ad aliud dirigunt ac disponunt.

§. XXVI

Nec impedit, quòd formatrix sit potentia vegetativa, non verò cognitiva, indeque secundum exemplar fœtum formare non posse videatur; nam hîc non intelligi debet cognitio sensualis, multò minùs intellectus; *sed potius naturalis*: quâ ratione plantæ quasi cognoscunt & distinguunt in terra alimentum. & sibi conveniens fugunt, aliò relicto: partes corporis suum quasi cognoscunt alimentum, & unâ trahit bilem, alia sanguinem, alia melancholiam, aliis relictis, & sic cognoscunt & distinguunt illa, atque distinguunt excrementum contra alimentum, illud expellunt, hoc retinent.

§. XXVII.

Sed cur imaginatio rarò tantum fœtum signat, & non semper? Nam Prægnantes nunc porcum, nunc canem, nunc leonem, nunc aliud quid sedulâ volvunt mente, nec tamen quandam hinc fœtui notam imprimunt; Et quis demum hominis referret vultum, imaginatio quævis signandi si gauderet potentia? nullæ sunt imaginationes omnes, quæ absque affectu efficaciori & majori fiunt; Ubi enim nullus affectus, ibi nulla motio, nullaque mutatio, desiderium verò, terror, amor, ira ac tristitia maximis signandi viribus pollent. Sic cum re desideratâ gravidæ frui nequeunt, magis signant: ut enim tunc desiderium est majus, ita & efficacius. Sic pueri nonnulli maculas gestiunt rotundas ceraforum aut fragorum formis similes, eò quod gravidæ matres ceraforum aut fragorum desiderio flagrant, iisque potiri nequiverunt. Gravidæ irâ inflammata fœtum notant sæpè sanguineis maculis. Prægnantes

tes

tes tristes pallidum ac cadaverosum soboli imprimunt vul-
tum. Hinc foetuum signaturæ facile fiunt, si species fortiter
imprimuntur, & ad uterum deferuntur, si facultas forma-
trix debilis est, & facile seducitur, si subjectū habile & idoneū.

§. XXIX.

Avicenna lib. 5. de animali narrat: gallinam, quæ dum
ovis incubaret, milviq̄ue aspectu perterrita fuisset, pullos
exclusisse milvinò capite; quod aliis fabula potius videtur,
cū nulli ductus à gallina per ovi testam in albumen & vi-
tellum porrecti, nulla spirituum matris incubantis & pulli
ovo inclusi communio. Sic quoque falluntur, qui galli-
nam ajunt, si ova variò signata fuere colore, vel ante ovis
incubantem, variegatum suspensum linteum, pullos exclu-
suram varii coloris; Nam imaginativa gallinæ nullam habet
potestatem formatricem in ova: quæ sunt extra eam, solum-
que istæ sunt partes gallinæ, ut calore suo suscitaret latentem
in ovis ac sopitam vim formatricem, quòd & mulier à Vos-
sio l. c. dicitur posse, si inter ubera assiduè ovum circumge-
staret. Quid! ne quidem opus caloris animantis videtur, cū
in Ægypto excludi dicuntur posse ova calore fimi, vel è geli-
do aquæ tepore, vel assiduè tepentis furni. vid. Arist. in 6. Hist.
anim. II.

§. XXIX.

Vossius l. c. ait, quòd adulteræ, dum metuit *ἐν ἀυλοφῶν*
deprehendi, assiduà propè cogitatione, maritis similes gi-
gnere judicentur. Evidens quoque nobis exemplum præ-
bet divinus Moses Genes. 30. ubi recenset, quid fecerit Ja-
cobus Patriarcha, ut sibi cederent oves, quæ ex unicolori-
bus varii nascerentur coloris; nam quarundam arborum ra-
mis viridibus dicitur partem corticis abstulisse, partem re-
liquisse; ut ita rami partim essent albi, partim viridis ac ni-
grescentis coloris, atque eos ramos sic posuisse in aqualicu-
lis, ut oves in coitu cernentes hosce ramos diversicolore
& ipsæ gignerent foetum.

§. XXX.

Proporrò Phantasia seu imaginatio alias quoq; vire ha-
bet, ut scil. è corpore proprio tollere possit morbos, quâ rati-
one

one dictum fuit, quod æger per confidentiam de Medico tantum sanet seipsum, quantum Medicus medicamentis. Pomponatius scribit, ex cultu ossium sanctorum sanitatem acquirere nonnullos, non quâdam virtute peculiari illorum ossium, sed ob confidentiam, quam de iis habent. Adeo si tantâ confidentiâ colerent asini ossa, eodem modo sanitatem essent consecuturi. Sic etiam characteres, appensa verba, ex solius imaginationis virtute sanare dicuntur. Sed hæc phantasia per se præstare nescit, quippe quæ facultas cognoscens est, cognitio autem per se non est effectiva, præstat ergo phantasia id per accidens ob Affectus nempe quos movet: Affectus enim sequuntur spiritus & humores, id propter phantasiæ operâ non minus, morbi creantur, quam curantur. Lætitia excitat spiritus, cor recreat, arterias & venas dilatat, totumq; corpus aliàs languidum & flaccidum reddit vegetum. Inde morbi superantur faciliè, sicut contra aut generantur, aut augentur tristitiâ, id propter confidentia per se sanitatem nõ creat, quippe quæ mera opinio est, opinio autem omnis activitatis experta statuitur. Per accidens igitur præstat Iquicquid præstat, dum affectus inducit, per quos spiritus & humores moventur, & ægrotum Medico facit obsequentem. De appensis dicendum videtur, quod quædam polleant viribus resistendi morbo, quædam verò iis destituantur, in quibus posterioribus Imaginatio cum superstitione accusanda venit.

§. XXXI.

At verò phantasia seu imaginatio non tantum tollere, sed etiam morbos parere valet. Sic tempore pestis qui sibi imaginantur pestem, faciliè eâ corripì posse clam neminem est. Istud autem phantasia per se præstare nequit, cum nempe ejus actio immanens infœcunda sit. Et si statim per imaginationem per se inducerentur morbi, ille qui sibi imaginaretur icterum, fieret ictericus; qui podagram, fieret podagricus; qui crederet, se claudum esse, aut ingentem habere nasum, aut ex vitro conflatas sibi nates, ille statim existeret talis; at hoc neutiquam fieri totus novit Mundus. Ergo quoscunq; inducit morbos phantasia, eos per accidens tantum inducit, dum scilicet passiones animi primò parit, ex quibus morbi oriuntur. Sic pestis imaginatio timorem infert, timor putridos, malignos & pestilentes humores in cor-

pore latentes mover, eosque ad fontem, cor scilicet transfert, qui pestem ibi generant: inde non nisi in corporibus dispositis imaginatio diuinam illam populū creat luem.

§. XXXII.

Coronidis loco hic quaeritur, an etiam imaginatio, cum tantas habeat vires in corpore proprio, externa etiam possit mutare corpora? Avicenna scribere dicitur, Animam humanam per fortem imaginationem non solum proprium corpus, sed etiam externum realiter transmutare; posse corpora fascino, grandines, nives & ventos excitare; posse siderum virtutes à caelis depromere, posse hominem longè remotum & equo insidentem dejicere, ac puteum prostertere, non tamen cuiusvis phantasia tantam habere potentiam, sed illius, qui animam habuerit excellentiorem & puriorem, à sece materiae magis abstractam ac sub felicissimo sidere, & Jovis imperio conceptam. Talem animam esse quasi ipsam Jovis imaginem, & quasi Jovem ipsum; unde sicut Jupiter & caelestia corpora imperium habent in hac sublunaria; ita etiam talem animam influxu & virtute Jovis affectam, mediante imaginatione potentiam habere pro imperio corpora sublunaria permutandi. Avicennae sequaces dicuntur Algazel, Alkindus, Paracelsus, Agrippa, aliique.

§. XXXIII.

At enim verò hæc sententia ab aureo veritatis tramite quæ longissimè deflectit: nam phantasia neque per se, neque per accidens externa mutare posse corpora asserimus. Non per se, quia illa, tanquam facultas cognoscens, hoc in corpore proprio præstare nequit, multò minus in corpore alieno & externo, juxta illud πολὺ δὲ ὀλιγόν; minus quod nequit, majus etiam non poterit. Neque per accidens hoc præstare poterit, cum scilicet careat mediis & instrumentis, quibus absens moveat, turbeque corpus. In corpore enim proprio est spirituum ac humorum locietas; formatricis facultatis seductio, phantasia tale corpus proprium affectibus mediantibus movere potest, quæ omnia de corpore externo asseri nequeunt, quippe in quo affectus phantasia movere nescit. Johannis phantasia non excitat in Jacobo lætitiā, timorem, tristitiā aliosque affectus. Formatrix facultas à phantasia alterius sese seduci non sinit; Externū illud corpus nec sanguinē, nec spiritū ab imaginante recipit.

§. XXXIV.

Sed regerunt contrariæ sententiæ fautores, quod juxta Aristotelem

telé & Pliniū mulier menstruata radiis ex oculis vibratis inficere
possit speculum, quod ipsum per phantasiā mulieris menstru-
atæ fieri existimant. At R. menstruata mulierem nō ob imagi-
nationem, sed ob halitus pravos exeuntes inficere speculū. Ex-
eunt sanè ex oculis vapores noxii, qui motu vagō huc illucque
eunt, & non pro phantasiæ imperio radialiter ac per lineas re-
ctas in objecta externa longissimè etiam remota vibrantur. Un-
de etiam actio istorū tam determinata non est. Sed cū motum
habeant vagum, si fortè res quasdam attigerint, lædunt eas ac in-
ficiunt. Sicut qui propius lippos aliorum aspicit oculos, lippi-
tudinē contrahit.

§. XXXV.

Deinde objiciunt, quōd Catoblepa venenatis oculorum ra-
diis homines enecet, ergō idem præstare quoq; posse hominem
suā Phantasiā. De hoc animali Ælianus lib. 7. de animal. cap. 5. scri-
bit hunc in modum. *Cū multiplices & varias Africa procreat bestias,
tū in Catoblepōtem sic nuncupatū parere existimatur. Is tauro similis spe-
ctatur, magis tamen truculentus & terribilisq; aspectu. Alta ei & densa sunt
supercilia; oculi non perinde quidem magni, ut bubuli, subjiciuntur sanguine
suffusi. Non directè, sed ad terram versū intuetur, unde & nomen ei factum.
A vertice incipiens juba equinæ similis per ejus frontem promittitur faciem
ejus occupans, formidabiliorem eum reddit. Mortiferas depascitur herbas; ac
simul ut taurino aspectu conspexit statim horret, & jubam erigit. Eā autem
in excelsum excitatā, atq; apertis labris per guttur quiddam vehementer
grave & virosum emittit, ut aer supra caput obducatur & inficiatur; ani-
malia autem appropinquantiā graviter affligantur, & vocis usum amit-
tant, in lethalesq; convulsiones incidant, quod & homini accidere dicunt;
hanc sui noxiam vim & fera hæc in se agnoscit & aliæ animantes norunt,
eoq; ab ea quam longissimè refugiunt. Athænaeus lib. 5. cap. 15. sequētia
de hoc animali scribit: Catoblepa est animal agrestibus ovibus persimilè,
ac, ut nonnulli volunt, vitulo; quod talem habere respirationem dicunt; ut o-
mnia, quæ ei animali obvia fuerint, interimat. Dicunt præterea, comam id
habere, quæ ex fronte ad oculos demittatur: quam ubi concutiens ob gravi-
tatem vix tandem aspexerit, illum perimit, qui ab eo visus fuerit. Non ex spi-
ritu quidem, sed ab exhalatione, quæ sit oculorum naturalis, citòq; mortuū
facit. Res autem ita percepta est, quidam ex iis, qui militabant cū Mario
contra Jugurtham, hoc animal videntes, putantesq; esse ovem silvestrem,*

K 2

quia

247
550
quia infra annuebat, tardeq; movebatur, in ipsam irruerant, tanquam enses
quos habebant, interfecturi. At hæc perterrita comam concutiens, quæ an
oculos jacebat, eos confestim mortuos relinquebat, qui illam insecuti fu
rant. Hoc cum sapius fecissent alii, morerenturq; & omnes, qui appropinqua
sent; explicarunt quidam animalis naturam, quam ab incolis didicerant.
Postea Equites quidam Nomades Mario jubente, huic eminens insidias teren
derunt, jaculisq; percusserunt, & feram ad Ducem accedentes, attulerunt.
Quam fuisse hujusmodi, & pellis fuit indicium, & universus Marii exerci
tus testatus fuit. Videfis Schottum in physicâ quam inscripsit, cu
tiosa lib. 8. cap. 21.

§. XXXVI

Sed ad hoc R. quod catoblepa suâ phantasiâ vel imaginati
one nõ potuerit animalia obvia interimere, sed propter vapores
venenatos & noxios ex ejus oculis emissos, animalia appropin
quantia enecaverit, quanquam aliâs meminimus ejus, quod Bo
dinus de Basilisco rectè monuit: nõ existimo, inquit: tam male
ficũ animal ab optimo rerũ opifice creatũ, quod cæteris animalibus aspectu
gladè illaturum esset.

§. XXXVII.

Deniq; objiciunt, quòd vetulæ animalia & teneros pueros
oculorum fascinant intuitu, juxta Poëtam:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Ergò etiã homines excellentes odio & irâ affectos motis mali
gnis humoribus, iisque contaminatis spiritibus, hisq; in res exter
nas per imaginationē directis, lædere possunt alios, ac permuta
re. Ad id respondetur, quod vetulæ nõ ob phantasiã, sed vel ob pra
vos humores temerè grassantes, vel ob magiam dæmoniacã a
liis noceant. Etenim Diabolus, quod vi nequit apertã præstare,
id præstat per anum semideliram, levis omnẽ, repuerascentem.

§. XXXIIX.

Hæc hæc vice. TIBI jam CHRISTE IESU, VERBUM COE
LESTIS PATRIS SUBSTANTIALE ET COÆTERNUM,
CUM EODEM PATRE ET SPIRITU SANCTO laudum &
gratitudinis libamina iuncto, qui TRIUNE DEUS in omni stu
dio & actione lassio robur & benedictionē clementissimè addidi
sti, supraq; vota in miserrimũ benignissimus fuisti; da porrò, po
tentissime IESU! ut omnis mea cogitatio atq; intellectio secundũ
sanctissimã tuam voluntatem in Sacra Scriptura expressam dire
cta sit, Tibi sit gloria, gloriose in secula seculorũ AMEN.

MA
DN. C
Sehern / Co
politano

MA
DN. J
SS. Theolo
rum ac

OTRI
No
DN. A
J.U. Doct

Maxir
omr

QUE Ex-
CHATIO

ellario Rudolpho-
no, atque Sacri
o:
IO ATQUE

INGIO,
o, nec non Ecclesia-
arzburgico Su-
tissimo:

ITSCHIO,
o Rudolphopoli-
no:

& Patronis,
e cultu æter-
mente

